

Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

28. Antequam moriatur, cereum accendi jubet, vel rogat, atque ante Crucifixi effigiem poni; aut, ipse. si tantæ sint vires, manu sustinet, adventum Sponsi expectans. Consalvus Mederius, Lusitanus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](#)

52 SOCIETAS IESV

lins altissimo silentio premebat humilitas. Ex his apparet, non malè scripsisse Quendam: CHRISTVM è Cathedrâ CRVCIS SVARII Magistrum egisse. Mortuus est Doctor immortalitate dignus Olisipone in Lusitaniâ Anno Christi M.DC. XVII. ætatis ferè LXX. Societatis initæ LIV. XXV. Septembr. Sacramentis ritè susceptis & cælesti gaudio delibutus.

a Vita Francisci Suarij tomo 1. Oper. præfixa.

b Suarez tomo 4. de Religione. S. August, tom. 7. de gratia & lib. arbitr. cap. 1.

c Jacobus Damianus in Synopsi Societatis lib. 6. cap. 4.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Antequam moriatur, Cereum accendi jubet, vel rogat, atque ante Crucifixi effigiem ponit; aut ipse, si tantæ sint vires, manu sustinet, adventum sponsi expectans.

28.

CONSALVVS
MEDERIUS
Lusitanus.

T S E

Sic honorasse CRVCIFIXVM suum haud ambigo CONSALVVM MEDERIVM Lusitanum, è primis illius Provinciæ Patribus, cuius in severissimo vitæ, ad imitationem CRVCIFIXI æquabilis perpetuaque constantia laudatur misericordie in Historia Societatis.

Is compluribus annis senas quotidie, præter

IMITATRIX CRUCIFIXI. 53

præter Sacerdorale pensum, precationi, meditationique horas impendit; ternas à cœnulâ ante quietem, totidem post degustatam quietem, ante diluculum. Vbi dilucesceret descendebat in templum flexisque ante Divinissimum Sacramentum genibus primas Sacerdotalis officij preces exequebatur, tum alias ex intervallo.

Denique, Sacrum faciens, dansque operam Confitentibus, nunquam toto matutino tempore, pedem de templo, nisi quid Obedientia interdum, caritasve præscriberet, efferebat. Spatium verò pomeridianum, si otium daretur à confitentibus rerum studijs Sacrarum totum dicabat³. Porrò, quotidiana in senarum meditationem horarum, nunquam, ne in itinere quidem omittebat: magnâ quin etiam ex parte retinuit supremis vitæ diebus, cum pessimè affecatum corpusculum penè Spiritus defecisset.

Paulò ante excessum, aliquot Patrum accitis Sacrum CERUM jussit accendi. Tum Symbolo Apostolorum prolatos In hac fide, inquit, institutus sum, in hac vixi, in hac morior: restorque, si quid forte in extremo agone excidat mihi, jam nunc indictum ac irritum velle. Ac protinus brachio porrecto, Cereoque manu prehenso: Ut lumen

54 SOCIETAS IESV
hoc, inquit, oculos illuminat corporis,
sic ego credo DOMINVM IESVM, quippe
Lucem Mundi in candelabro CRVCIS,
illuminare omnem hominem venien-
tem in hunc mundum: quia ipse Lumen
verum & æternum est. Quæ magno sen-
su cùm protulisset, continuans iude san-
cta cum Dilecto suo colloquia, Ecclesiæ
mysterijs omnibus præmunitus; ad Spon-
sum cælestem, cum face evolavit è cor-
pore, pridie Nonas Aprilis, Anno Chri-
stiano M.D. LIL.

*Nicolaus Orlandinus in historia Societ. lib. 12.
num. 66. tom. 1.*

IX.

AMATOR CRVCIFIXI

*Solemnem quot hebdomadis concionem
de Passione Domini, Feria VI. habet
& flagellationem piam ad ejus me-
moriariæ inducit.*

29.
GASPAR
BARZAEVS
Zelandus.

3
S
E

GASPARI FRANCISCI Belga BAR-
ZÆVS, in Zelandiâ insulâ, oppido
Goozâ natus, fuit Apostolicæ industrie,
& sanctitatis homo, à Deo datus ad sa-
lutem multorum apud Indos, ad quos
per occultos Providentiæ Divinæ an-
fractus venit. Is, quo erat ardore, Iapo-
nios, Sinas, Æthiopes, Abassinos, Scy-
thas, gentes omnes animo vastissimo
com-